



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Stephani Balvzii Miscellaneorum Liber ... Hoc est,  
Collectio Veterum monumentorum, quæ hactenus  
latuerant in varijs codicibus ac bibliothecis**

**Baluze, Etienne**

**Parisiis, 1679**

De primo dono Ecclesiæ sancti Nicolai de Credone.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14735**

Ego Litifredus Presbyter Cardinalis Tit. Vestinae  
subscripsi.

Ego Lucas Presbyter Cardinalis Tituli sanctorum  
Iohannis & Pauli subscripsi.

Ego Guido indignus sacerdos.

Ego Gregorius Cardinalis Presbyter Tituli sanctae  
Priscae subscripsi.

Data Pisis per manum Aimerici S. R. E. Diaconi  
Cardinalis & Cancellarij VIII. Kalendas Februarij,  
Indictione XIIII. incarnationis dominicae anno  
M C X X X V I. pontificatus Domni Innocentij Papa  
II. anno sexto.

Visum est hoc loco addere chartam de primo dono  
Ecclesiae sancti Nicolai de Credone, & bullam Pal-  
chalis II. qua eandem monasterio Rotensi confir-  
mat, quod utriusque scripti mentio supra pag. 204.  
fiat in relatione Ulgerij Episcopi Andegavensis.  
Addimus etiam chartam qua ejusdem monaste-  
rij initia continentur, & eam qua agit de confir-  
matione ab Urbano II. facta in Concilio Turo-  
nensi. Hinc enim explicabuntur quae de primordiis  
hujus Ecclesiae & de judicio Turonensi dicuntur  
pag. 201. & 208.

*De primo dono Ecclesiae sancti Nicolai de Credone.*

Ego Albinus Abbas & Conventus sanctae Mariae  
de Rota munimine & testimonio hujus paginae no-  
tum coetaneis nostris & omnibus successuris esse  
curavimus Hugonem de Credone Capellam sancti  
Nicolai, quae est in Credonensi oppido, cum perti-  
nentiis ejus in manu Raginaldi Andecavensis Epil-  
copi ad hoc posuisse ut ipse Rainaldus eam cum ipsis  
pertinentiis Ecclesiae nostrae & nobis donaret in per-  
petuum habendam, & ipsum Rainaldum nobis eam  
& Ecclesiae nostrae dedisse. Sanè id concessit Ulge-  
rius, qui tunc erat Archidiaconus, & Rainaldus Ar-  
chipresbyter. Concesserunt etiam Clerici praefatae

Ecclesiæ, Albericus, Theobaudus, Rainaldus, Guarinus, Teobaudus, Guillelmus, Calepinus, Petrus. Ipsum firmatum fuit in Capitulo sancti Mauritij Andegavensis, confedentibus & concedentibus quorum nomina subscripta sunt. Normannus Decanus Andecavensis audivit & concessit. Richardus, Normannus Archidiaconus, Grafio, Guibertus, Guillelmus, Obertus, Haimericus, Vlgerius, & alij. Hoc donum & hanc concessionem fecit stabilius & firmitus auctoritas Paschalis Papæ, qui litteris & sigillo suo Ecclesiæ de Bosco ei deservientibus fratribus & deservituris cum suis pertinentiis possidendam constituit.

*Privilegium de eodem dono sancti Nicolai.*

**P**aschalis Episcopus servus servorum Dei dilectis filiis Albino Abbati & Canonicis sanctæ Mariæ de Bosco salutem & apostolicam benedictionem. Quia vos ad videndum Deum vacare cognovimus, nos juxta petitionem vestram quieti vestræ benignius providemus. Eapropter Capellam illam beati Nicolai quam in castello Credonis per manum Rainaldi Andecavensis Episcopi suscepistis, nos vobis per decreti præsentis paginam confirmamus, quam videlicet idem Rainaldus Episcopus de Hugonis Credonensis potestate receperat. Sicut ergo ab eo vobis concessa & tradita est, ita vobis in perpetuum quietam & integram cum omnibus appendiciis suis manere censemus. salvo nimirum censu annuo solidorum decem, qui matri Ecclesiæ beati Mauritij persolvendi sunt. Univerſa enim prædia & dona quæ supradicti Hugonis avus Rainaldus eidem Capellæ de suo jure obtulit & scripti assertionem contradidit, quæque ab ipsius Rainaldi filio Mauritio collata sunt, quietam vobis & integram in perpetuum manere sancimus.

An. 1117.